



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

I. Concordata novam judiciorum formam introduxerunt, qua ferme revocatum esse videtur jus antiquam. Explicatur jus à Concordatis introductum circa judicia causarum & appellationis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15617

tius esse. Cùm autem Deus sibi reservaverit dissolutionem conjugij carnalis inter hominem & feminam, planum esse eum sibi reservasse etiam dissolutionem conjugij spiritalis quod intercedit inter Episcopum & Ecclesiam. Vnde concludit solum Pontificem Romanum, qui est Vicarius Iesu Christi, posse decernere translationes & depositiones Episcoporum, idque auctoritate divina. Sed argumentum illud nimis probat. Nam hinc potius sequeretur nullo casu Papam posse dissolvere conjugium spirituale, cùm ipse, quamvis Christi Vicarius, nullo casu possit dissolvere vinculum conjugij carnalis. Melius dicam, argumentum illud nihil concludit: quoniam unio Episcopi & Ecclesiæ, conjugium tantum est per metaphoram; & ideo, si summo jure agamus, comparari non potest cum vero conjugio. Certum quidem est Athanasium & alios veteres ordinationem sive intitutionem Episcopi in quapiam Ecclesia comparasse cum conjugio; sed id ab iis scriptum est per translationem, ut ostenderent quàm arcto vinculo Ecclesiæ ille suæ esset adstrictus. Hæc sunt verba Innocentij: *Non enim humana sed potius divina potestate conjugium spirituale dissolvitur cum per translationem, depositionem, aut cessionem auctoritate Romani Pontificis, quem constat esse Vicarium Iesu Christi, Episcopus ab Ecclesia removeretur. Et ideo tria hæc que premisimus non tam constitutione canonica quàm institutione divina soli sunt Romano Pontifici reservata.*

Cap. 2. de transl. Episc.

IX. Ceterum jus illud in Gallia, æquè ac in reliquis orbis Christiani provinciis, receptum erat, & versum in morem; ut adnotatum est in Glossa Pragmaticæ Sanctionis. *Episcoporum depositio, inquit Guimerius, est Pape reservata. Si verò non agatur contra Episcopos ad depositionem, sed ad aliam pœnam arbitrariam vel determinatam, citra tamen depositionem, tunc Concilium provinciale erit iudex. Istud verò probari posset multis exemplis ex historia petitis, si res tanti esset.*

Guimer. in Glossa Pragm. tit. De Concub. s. Episc. hi. verbo, Destitutio.

CAPVT XXVII.

Synopsis.

I. Concordata novam judiciorum formam introduxerunt, qua ferme revocatum esse videtur jus antiquum. Explicatur jus à Concordatis introductum circa judicia causarum & appellationes.

II. Ostenditur in quo simile sit id jus antiquo juri. Causæ omnes olim commissæ erant unicuique provincia, nulla Pontificis Romani mentione. Primi omnium Nicolaus primus & Joannes octavus appellationes Presbyterorum dejectorum admisserunt. quod

agerrimè tulit Rex Carolus Calvus. Quid de Episcoporum causis statutum in Concilio Nicæno & Sardicensi.

III. Jus illud observatum est usque ad initia tertia Regum nostrorum dynastia. Temperamentum inter jus antiquum & novum invehunt Concordata. Explicatur temperamentum illud.

IV. An causa Episcoporum reserventur Summo Pontifici in Concordatis, verbis illis generalibus, Majores causæ. Rejctæ responsio inventa ætate Caroli IX. Regis. Episcoporum causæ non recensentur inter majores.

V. An fortassis intelligenda sunt Concordata de eodè cum immediate subjectis sit apostolica sedis, eam appellat. Refutatur objectio illa.

VI. Ex Titulo De publicis concubiniis elici videtur Episcoporum depositiones ipsi Summo Pontifici reservari. Explicatur hic locus in gratiam Episcoporum Gallicanorum.

I. **C**ONCORDATA inita inter Franciscum primum Regem Christianissimum & Leonem decimum Pontificem Romanum novam judiciorum formam introduxerunt, qua ferme revocatum esse videtur jus antiquum. Nam ante Pragmaticam Sanctionem prima omnium causarum cognitio Romæ ut plurimum habebatur in perniciem litigantium & jurisdictionis ecclesiasticæ, ac præterea in magnum regni detrimentum, ob immensam vim auri quæ ad contestandas lites in Italiam asportabatur; quem admodum in Pragmatica differitur in decreto *De Causis*. Hinc factum ut in Concordatis quoque insertus sit Titulus *De Causis*: in quo jubetur ut omnes causæ, exceptis majoribus, agantur, judicentur, & terminentur coram iudicibus ordinariis locorum; in casu verò appellationis, eam interponendam esse ad superiorem immediatum, & dein ad Curiam Romanam. Exemptos verò, qui Summum Pontificem appellaverint, judicandos esse in provinciis secundum delegationem Pontificis. Si verò à delegatis appelletur, missurum eo casu Pontificem nova mandata, quò terminari causa possit in provincia. Ab hac autem regula excipiuntur Cardinales & Officiales Summi Pontificis actu servientes, quorum causæ alibi tractari non possent edicuntur quàm in Curia Romana.

II. Ea ratione revocatur quodam modo jus antiquum, ut dixi. Nam omnes causæ quæ ad disciplinam ecclesiasticam pertinent, definiri debent in provinciis, juxta canones Nicænos, Antiochenos, Sardicenses, & Africanos. Causæ enim Presbyterorum ac laicorum unicuique provincia commissæ erant; neque primam earum cognitionem ad se trahebant Romani Pontifices, neque rursus ad eos appellabatur.